



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Episcopi Rudberdi Priuilegium super domo Monasterij Alderspacen.
Patauiaæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

Canonicus Patauien. Hadmarus de Wefen. Conradus de Volckenstein. Vricus de Lonstorff. Otto de Postmünster, ministeriales, & alij quamplures, Datum *Patauia* Anno Domini M. CC. XXXVIII. III. Non. Iunij X. Indictione. Acta sunt hæc sub Alberto Iudice *Patauia* existente.

Episcopi Rudberdi Priuilegium super domo Monasterij Alderspacen. *Patauia*.

IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Rudbertus* Dei gratia Ecclesiæ *Patauien.* Episcopus. Omnibus Christi fidelibus salutem in perpetuum. Multa quidem benè, illa vero per optimè collata pro Deo collata videntur beneficia, in quibus verus Christus honoratur, & virorum religiosorum, Deo seruientium indigentia releuatur. Itaque Dn. *Sigfridum* pium ac venerabilem *Alderspacen.* Monasterij Abbatem, simul & fratres suos libenter exaudientes in Domino, sub spe retributionis æternæ arcam quandam secus *Danubium* in *Patauia*, quæ nostri juris & proprietatis erat, fratribus nostris maioris Ecclesiæ Canonicis ea tradidimus condicione, vt eandem prædictus Abbas & fratres sui, eorumque successores à præsentibus & futuris *Patauiensis* Ecclesiæ Canonicis in perpetuum accipiant & obtineant beneficium. Veruntamen quia in circuitu nimis stricta & arcta fuit area prætaxata, ac Abbatis & Monachorum vtilitati minus poterat sufficere, aream adiacentem nos & fratres nostri de choro, ad quos spectat vtraque area, prædictorum Abbatis & Monachorum charitate deuicti in augmentum gratiæ super addidimus eisdem; eximentes easdem areas & domos construendas in eis ab omni exactione Stevvarum, quatenus prædicti fratres diuinis liberius vacent contemplationibus, dum easdem incolunt, & in suis necessitatibus possint proficere fructuosè. In quorum testimonium, ad perpetuam rei memoriam, præsentis paginæ testamentum, & subscriptarum testimonium personarum inde conscribi, & sigillo nostro muniri & in armario nostro contra obliuionem, & violentiam obtrectatorum præcepimus conseruari. Testes de Clero sunt qui aderant, *Sighardus* Decanus Scholarum Magister, & *Henricus* Chunzlinus archipresbyter, *Otto* Subdiaconus de *Ried*, *Fridericus* presbyter, *Pilgrinus* Gazvvinus, *Dietmarus*, *Albero*, *Gerhardus* &c. Ex laicis verò nobilibus *Rapoto* Comes de *Ortenberg*, *Dietricus* de *Pabingarten*, *Popo* de *Mezzing*, *Otto* de *Strubin*, *Rudgerus* de *Aheim*, & multi alij fide digni. Dar. & act. *Patauia* Anno Domini M. C. Sexagesimo quarto Kalen. Augusti.

Archiepiscopi de Salzburg super Sale nostro in Saling Priuilegium.

EBerhardus Dei gratia Salzburgensis Archiepiscopus Apostolicæ sedis Legatus omnibus præsentem paginam intuentibus, salutem in Domino Iesu Christo. Ne gesta rerum elabantur cum tempore modernorum ætas consuevit ea literarum testimonio perennare. Hoc igitur scripto notum facimus tam præsentibus quàm futuris quod defectum quem Cœnobium in *Aldersbach* in *Salibus* patitur attendentes moti visceribus pietatis eidem Cœnobio